



PROLEGOMENA
DE
INTERPRETATIONE
VNIVERSA

§ 1.

Interpretationem librorum sacrorum esse summum idemque difficillimum Theologi munus, ipsa res et ratio, et usus, et omnium meliorum saeculorum consensus docet. Nam omnis certa veritatis diuinae et scientia, et defensio, e sacrarum literarum intelligentia et accurata interpretatione ducitur:^{a)} et cum interpretandarum literarum sacrarum studio et lapsa et restituta est religionis christianae puritas: denique principes Theologorum semper numerati sunt ii, qui in eo genere excellerent.^{b)}

a) In omni disciplina fundamenta debent esse cognita. Iesus ipse nihil scripti nobis reliquit. Quum autem doctrina eius a multis